

5+6/94

IDIBVS DECEMBRIBVS

MCMXCIV



RVMOR VARIVS





IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA
TURICENSI in aedibus AKADis
editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos
annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis (annuum):

In Helvetia	sFr.	20.--
In Germania	DM	32.--
In Austria	ÖS	230.--
In ceteris Europae terris	sFr.	30.--
In terris trans maria sitis	US\$	24.--

Singula specimina qui rogaverit,
gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann lic. phil.
Dr. phil. Emanuel Bernard
Dr. med. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum
legentibus publicandarum curat:

Christina Meier-Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Solothurn

Epistulae, mandata mittenda sunt
ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH - 8050 Zürich

Institutum pecuniarium:
Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0



IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS
LATINA TURICENSIS unter dem
Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis (jährlich):

Schweiz	sFr.	20.--
Deutschland	DM	32.--
Oesterreich	ÖS	230.--
Uebriges Europa	sFr.	30.--
Uebersee	US\$	24.--

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam:

Ulrich Aeschlimann lic. phil.
Dr. phil. Emanuel Bernard
Dr. med. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martin Meier
Daniel Weissmann

Grafik und Layout:

Christine Meier-Portner

Druck:

Copy Quick, Solothurn

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH - 8050 Zürich

Bankverbindung:
Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!

Ea, quae libello III^o huius anni proposueramus, nonnullis vestrum placuisse videntur. Sic Genovefa Immé nobis scripsit: "...Te in recentissimo commentariorum vestrorum hortante aliquid scripsi de mulierum servitute aut libertate pro themate, quod opportune proposueras. Etenim optimum consilium tuum mihi videtur, ut thema quoddam scriptoribus proponatur. Nam saepe accidit, ut haesitemus, cum nesciamus, quod argumentum maxime idoneum sit. Illud autem, quod proposuisti, magni momenti est et potest simul antiquum et modernum esse: Nos utique in eo tractando adducimur ad praeterita modernaque componenda."

Orestes Carbonero autem haec nobis misit: "...Toto de pectore plaudo Vestro proposito singulos fasciculos paene integros uni eidemque argumento dicandi; nullum autem thema magis alliciens proponi potuerat quam illud, quod nuper proposuistis. Nonnulla igitur Vobis mitto epigrammata ad antiquas mulieres pertinentia: agitur, ut par est, de mulieribus magni, immo maximi momenti, quae animi ardore viris minime cesserunt."

Legite igitur in paginis sequentibus sex omnino symbolas de nostro themate praecipuo.

Alia argumenta a vobis proposita, cari legentes, gratissima nobis erunt. Si quae vobis in mentem veniunt, ne cunctemini nobis scribere! Sed omnes symbolae ad quaslibet res pertinentes nobis semper gratissimae erunt! Nobis scribentes animadvertite, quaeso, novam inscriptionem cursualem nostram, quam in pagina sequente invenietis!

Praeterea in hoc libello primam partem narrationis titulo 'Ambitus', qua per Basileam urbem Helveticam ducemini, legere poteritis et cetera nonnulla. Etiam amici aenigmatum solvendorum novum negotium invenient.

Sit vobis annus novus faustus, felix, fortunatusque!

Valete!

Daniel Weissmann

De nova inscriptione cursuali Societatis Latinae Turicensis et Rumoris Varii

Vos, amicas et amicos nostros, rogamus, ut ex Kalendis Decembribus omnia scripta ad RVMOREM VARIVM pertinentia, sive epistolas sive symbolas, non iam ad aedes AKADIS Turicum mittatis, sed ad inscriptionem cursualem sequentem:

RVMOR VARIVS
c/o aeschlimann publicity
Stadthausstrasse 117
CH-8400 Winterthur
(Schweiz)

Symbolae ad publicandum in RVMORE VARIO etiam ad Danielelem Weissmann mitti possunt. Curus inscriptio, quam iam dudum novistis, est haec:

Daniel Weissmann
Redaktion RVMOR VARIVS
Tellstrasse 30
CH-3014 Bern
(Schweiz)

Gratias vobis agimus.

Dabamus Vituduri, mense Novembri anno MCMXCIV°

SOCIETAS LATINA TVRICENSIS
RVMORIS VARIi domus editoria

DE MULIERUM SERVITUTE AUT LIBERTATE VARIIS AETATIBUS

De mulierum servitute aut libertate variis aetatibus

Nobis a Daniele Weissmann moderatore ingeniose propositum est, ut "de mulierum emancipatione vel liberatione ab obsequio virorum, sive temporibus antiquis, sive aetate nostra", aliquid scriberemus. Ut de hoc themate, quod mihi revera placet, sententias meas scribam, hoc mihi imprimis declarandum est: Ut **legibus** plane consentio hanc emancipationem nuper et etiam etiamque magis decretam esse, sic re opinor pauca mutata esse, sed et priscis temporibus fuisse mulieres vere liberas et laetas, et nostra etiam aetate superesse mulieres viris quasi servientes. Nam rem credo pendere minus a legibus, quam a mulierum naturis et praesertim a viris, quibuscum hae mulieres convenerunt. Antiquis enim iam temporibus, etsi legibus filiae a patribus et uxores a maritis imperiose regi solitae erant, multae tamen fuerunt mulieres liberae, immo aliquando multo liberiores quam decebat: Ut nonnulla exempla memorem, num Sappho illa Lesbia poetrix, num postea Romae Lesbia vel Fulvia vel Messalina ista infelicis Claudii uxor viris servierunt? Hae et multae aliae, quae eisdem aetatibus vixerunt, sive puellae permanserunt sive in matrimonia ductae sunt, sibimet mores gesserunt nec minus liberae fuerunt quam aetatis nostrae mulieres liberrimae. Si ab antiquitate ad medium aevum transimus, animadvertere possumus illa aetate quoque legibus mulieres viris omnino serviisse et multas fuisse, quibus mariti, cum ad bellum proficiscerentur, 'castitatis vincula' in inguinibus stricta clausa imponerent, ne periculum esset quominus eae cum aliis, maritis absentibus, concubarent: Quae 'castitatis vincula' revera erant et fastidiosae mariti diffidentiae documenta et vera tormenta, sub quibus caro nunquam lavari nec sanari poterat. Hac tamen eadem aetate aliae mulieres fuerunt, quae nil servitutis expertae sunt: Ut maximi momenti exemplum citem, de Christina de Pisano aliquid

dicam: Quae et patrem optimum habuit, per quem educata est in litteris et liberalibus artibus haud secus ac si puer fuisset, et postea maritum quoque optimum habuit: Nam, hoc mortuo, sibi non visa est serva a domino liberata, sed uxor vidua mariti mortem deplorans: Multos versus de hoc argumento scripsit, in quibus, exempli gratia, haec dicit:

"Sola sum, sine amico relicta.

Sola sum et sola permanere volo..."

et quae huiusmodi sequuntur: Num haec verba sunt misellae servae an uxoris amantis et amatae?

Si nunc ad saeculum XVI^{um} transimus, certum est legibus moribusque mulieres solitas esse multo inferiores viris: Ad hoc demonstrandum sufficit referre quibus verbis Rabelais, illius temporis scriptor, usus sit, dum admiratur quod sua aetate "latrones et carnifices, quin etiam mulieres" studiis incumbere velint et doctae factae sint! Illo autem ipso tempore, quo mulieres magis despiciuntur quam carnifices et latrones, mulieres non defuerunt quae in honore fuerunt magno et libere se gesserunt. In Francogallia inter alias habuimus 'Pernette du Guillet', quae a patre in litteris edocta, Latine et Graece et Hispanice sciebat. Extra matrimonium (et virisimiliter Platonico modo) Mauricium de Scève poëtam amavit et ab eo amata est, et versus ei dicatos permultos scripsit. Alterum exemplum velim citare Aloisiae Labé (quae quinto anno post 'Pernette du Guillet' nata erat: Haec a patre omnino educata est taliter qualiter frater suus: Non solum in litteris, sed etiam in bellatoris artibus; quapropter, ubi postea vir, quem amavit, ad bellum ire debuit, facillime potuit arma capere, vestem virilem eandemque militarem induere, et habitu sic permutato amatum virum quocumque sequi. Num creditis illam mulierem servam fuisse? Immo amatrix fervidissima fuit, quae audacter omnia agebat, ne a viro suo separaretur.

Quae cum ita sint, opinor pristinas mulieres, etiamsi per leges viris oboedire debebant, haud paucas liberas et sui iuris fuisse: quae videlicet vel natura sua audaces (aliquando audaciores) fuerunt, vel patres et maritos liberales et optimos et carissimos habuerunt.

Sed aetate nostra mulieres leges obtinuerunt, quibus edicitur eas sui iuris esse et aequas viris. Hoc per leges edictum est. Tamen in actis diurnis et in televisificis

cinematographeisque pelliculis videmus multas mulieres, non solum in Islamicis quibusdam regionibus (ubi vultus velare iterum debent), sed in occidentalibus ipsis regionibus pro servis haberi a malis violentisque maritis, a quibus graviter vapulant; quarum paucae contra dicere et publicis vigilibus maritos indicare audent, quia ultionem etiam peiorem timent.

Itaque confirmo, mea sententia, mulierum libertatem aut servitutem non a legibus pendere, sed a viris quibuscumque vivunt: Si vir (pater prius, dein maritus) bonus est, et mulier eos amat, libera est; sin autem vir malus neque amatus, mulier similis servae est. Leges edicuntur, ut malis civibus et hominibus obsint; sed legibus nihil obstantibus puellae et mulieres, quae naturis solent minus robustae quam viri plerumque esse, male tractantur, si eis vivendum est cum viris violentis. Laetissimae contra et liberrimae sunt, si cum viris amatis vivunt, sicut iam olim eis evenit.

Praecipue igitur pendent non a legibus, sed a Fortuna.

Genovefa Immè



DE FEMINIS IN TRAGOEDIIS GRAECORUM AGENTIBUS

Illa aetate V^o a.Chr.n., qua Aischylus, Sophocles, Euripides tragoedi, Herodotus scriptor rerum, partim Aristophanes comoedus, Plato philosophus, Thucydides rerum scriptor vixerunt (et multi alii praeclari homines), Athenis feminas magnam partem vitae in domibus inclusas egisse neque iudicialibus neque politicis iuribus fructas esse, sed omnino in potestate virorum fuisse non ignoramus.

Domi quidem servarum servorumque dominae erant et, si mariti id concedebant, res domesticas regebant et liberos curabant. Raro domos relinquebant, nisi celebrationibus et sacris publicis vel pompis, velut Panathenaeis, intererant. Referebat quoque, qua in classe sociali feminae viverent.

Athenienses pauperes potius uxoribus suis domum relinquere permisisse videntur, imprimis propterea, quod illae in foro merces vendebant, ut hoc quaestu paululum ad victum necessarium conferrent. Divites Athenienses ea re severiores fuisse videntur. Si mulieres ad vestimenta vel soccos emendos domum relinquebant, semper servae eas comitabantur. Scilicet mulieres quoque erant, saepe servae, quae meretrices viros delectabant, vel in symposiis aulis canebant vel saltabant. Nonnumquam illae sociae (Graece: ἑταῖραι) liberius et magis varie educabantur et cantu, musica, saltatione erudiebantur.

Sed instituta, quae in aliis regionibus Graeciae exstitisse scimus, velut in Lesbo insula ille circulus, quo puellae nobiles convenerunt, ut cum Sappho poetria viverent et ab ea artibus instruarentur, vel illa exercitia gymnastica Sparta, ubi puellae tunicis brevibus indutae femora nuda ostendebant et, ut Euripides poeta tradit ('Andromache' v. 597 ff.) domos relinquentes cum iuvenibus cursu et luctationibus exercebantur apertis tunicis nudisque femoribus, talia instituta Athenis exstitisse non videntur.

Etiamsi feminae Athenis legibus omnino in potentia virorum fuerunt, tamen vitam earum non necessarie miseram et malam fuisse puto. Non dubito, quin Athenis antiquis etiam viros fuerint, qui uxores suas amarent et felices cum eis viverent, quin matrimonia felicia quoque fuerint, quin patres et fratres filias et sorores amaverint et bene tractaverint. De his rebus quidem ad vitam cottidianam pertinentibus pauca testimonia nobis tradita sunt.

Quae cum ita sint, notabile est in tragoediis Atticis poetarum celeberrimorum, Sophoclis et Euripidis, saepius feminas egregias inveniri fortitudinem, animum, fidem, constantiam, pietatem praestantes. Se ipsas vel leges iustas contra viros iniustos improbosque defendunt. Quis ignoret 'Antigonem' et 'Electram' Sophoclis, vel Euripidis 'Medeam', 'Electram', 'Alcestidem', 'Helenam', 'Iphigeniam'?

Spectemus exempli gratia Euripidis Medeam: Iolci in urbe Pelias Aesonem, fratrem suum et patrem Iasonis, regno privavit. Tum Iasonem emittit imperans, ut auream pellem, quae apud Colchos, qui in extremis regionibus ultra Pontum Euxinum vivebant, erat, arcesseret. Sperat Iasonem hoc

negotio difficillimo perituro esse. Perdere enim nepotem vult, quod eius ultionem metuit. Postquam Iason nave nomine 'Argo' apud Colchos advenit, regis Colchorum filia, Medea, quae peritissima erat artis magicae, amore Iasonis capta eum omnibus rebus adiuvat, patrem et patriam prodens. Postquam Iason Medea adiuvante omnia pericula superavit et pelle aurea potitus est, fugit cum Medea. Quae fratrem suum Absyrtum fugientes persequentem necat et Iolci patrum Iasonis Peliam puniens interficit. Propterea Iolco fugati Medea et Iason Corinthum veniunt. Ibi nonnullos annos vivunt, Medea duos filios ex Iasone parit. Tum Iason Medeam perfide deserit et repudiat regis Corinthiorum filiam uxorem ducturus. Medea deserta et animo maxime laesa perfidiam Iasonis queritur et magna prudentia doloque virum perfidum crudelissime punit. Plurimi enim aestimat fidem, iura iuranda, amorem. Postquam mentem Iasonis convertere frustra conata est, Corinthiorum regem cum filia, nova uxore Iasonis, et duos filios ex Iasone necat, ut eo modo maritum perfidum quam gravissime puniat. Id non sine vehementissima pugna in anima eius fit. Maxima arte Euripides ostendit mentem ancipiter nutantem Medae, cum amor matris erga filios contra odium uxoris laesae in virum perfidum pugnat; pluries diudicatio convertitur, donec postremo odium et cupiditas Iasonis quam gravissime puniendi amorem matris vincunt.

Etiamsi tale factum horribile non proprium vitae cottidianae est, tamen Euripides hoc dramate condiciones mulierum Athenis accusat et vituperat. Haec dicta Medae multum ad condiciones vitae mulierum Atheniensium pertinent: "Omnium animalium animatorum et intellegentia praedictorum nos mulieres miserimae sumus. Primum nimio pretio maritus nobis emendus et tum dominus corporis nostri sustinendus est. Quod malum illo primo malo etiam peius est. Maxime refert, utrum maritus sit probus an malus. Eum relinquere feminae malam famam affert, eum repudiare non potest. Cum uxor nova in domum mariti venit novas consuetudines et mores inveniens, illam vatem esse oportet, ut sciat, quomodo maritus optime tractandus sit, nisi antea casu domi didicit. Si laborantes vivimus cum marito, qui nos vi non subicit, vita exoptata est, aliter mori melius. Cum maritus domi stomachatur, domum relinquere et molestias apud amicum aliquem

vel aequalem levare potest. Nos autem una sola persona contentae esse coactae sumus. Viri dicunt nos domi vitam sine periculis agere, cum ipsi bellis pugnent. Male id sentiunt: Equidem ter apud scuta in proelio stare malim quam semel partum edere."

His dictis Euripides sortem mulierum Atheniensium suae aetatis accusat et in dubio ponit. Improbatur partes assuetas feminarum et virorum: Illae dotem dare, domi versari, liberos parere, marito oboedire coactae sunt, hi autem saepe extra domos versari possunt, sive ad amicos conveniendos, sive ad symposia visitanda, sive ad pugnandum bellis (vel ad alia agenda, quae viris tantum licent, velut comitiis et iudiciis interesse, res politicas curare).

Quod ad perfidiam Iasonis attinet, dicendum est maritum illa aetate Athenis de iure non obligatum esse uxori fidem omnino servare. Post nuptias quoque, si ei placebat, aliis mulieribus uti poterat. Si mulier autem adulterium commiserat, maritus eam eicere obligabatur. Vir feminam sine causa repudiare poterat, sed dotem reddere debuit. Feminae quidem maritum relinquere et in domum parentum reverti licebat, sed famae eius valde nocebat, si talia faciebat.

Ex his apparet Iasonem de iure nihil non permissum fecisse, cum aliam feminam uxorem duxit Medeam repudians, ut cum filia regis Corinthiorum vivens plus divitiarum, potestatis, gloriae, famaeque in urbe haberet et nondum profugus, sed particeps familiae regiae esset.

Medeae autem non talia externa cordi sunt, sed leges morales, ut fides et iura iuranda servanda sint, pluris aestimat. Non cupit gloriam, famam in civitate, divitias, sed fidem et amorem. Iason auxilio Medeae usus est, dum utile erat. Tum non iam memor eorum, quae illa pro se fecit, eam deserit. Ita Iason egoista semper sibi opportuna faciens manifestus est, qui suum tantum commodum respicit neque comprehendit, quae Medeae cordi sint.

Euripidem Medeae favere etiam ex actione dramatis cognoscere possumus: Iason ab omnibus partibus perfidus, iniustus, ingratus improbusque habetur. Postremo omnia amittit et desertus miserimusque relinquitur, cum Medea curru in excelsa avolet.

Euripides dolorem, quem vir mulieri affert, si eam repudiat et perfidum se praebet, ostendit. Ea, quae viro parva et

neglegenda (et legibus concessa), mulieri multo graviora sunt. Medea barbarica, moribus aliis ac Graciae, mulier extraordinaria est, quae non tolerat ea, quae femina Atheniensis toleraret. Medea est mulier, quae viro omnia affert, amore commota maxima bona, odio commota maxima mala.

Magna arte Euripides ostendit, quae in anima mulieris perfidia mariti laesae fiunt. Vehementer non modo condiciones vitae mulierum, sed etiam ea, quae viri illa aetate iusta et bona ducunt, in dubio ponit.

Ea de causa forsitan Euripides dramate 'Medea' in certamine tragoedorum Athenis tertium modo praemium accepit. Cogitationes tales arbitribus non placuisse videntur. Saepe vera incommoda displicunt. Euripides inter tragoedos Athenienses ille est, qui suae aetati praecurrit, quasi maxime modernus. Homines eius aetatis non semper eum intellexerunt, posteris quidem magis placuit usque ad tempora nostra. Aristophanes comoedus ei illusit et inimicum mulierum nominavit. Qui autem condiciones miseris mulierum sic improbavit, certe non est inimicus eis.



Medea filiis necatis Iasonem relinquit curru a draconibus tracto avolans

Aliud exemplum egregiae mulieris in tragoedia titulo 'Antigone' Sophoclis poetae videmus. Notum est argumentum: Fratres Antigonae, Eteocles et Polyneices, filii Oedipodis, de imperio Thebarum certantes in pugna mortui sunt, alter alterum interficiens, alter pro Thebis patria, alter contra patriam pugnans. Creon Thebarum rex imperat, ut Eteocles, qui urbem defendit, maximis honoribus publice sepeliatur, Polyneices autem, qui contra patriam exercitum duxit, ne sepeliatur, sed avibus, canibus bestiisque pabulum proiciatur.

Antigone autem Polyneicem quoque sepeliendum esse existimat. Nam is quoque frater eius est, et pietatis sororiae est fratri iusta solvere. Sunt enim leges divinae, ut omnes mortes sepeliantur, et hae leges a deis constitutae plus valent quam leges hominum et iussa Creontis.

Soror Antigonae, Ismene, exemplum est feminae assuetae. Dicit iussis regentium oboedire oportere, imprimis feminas id decere. Antigone autem contra vetitum fratri iusta solvit. Capitur a custodibus et ante Creontem ducitur. Cum eo colloquens frustra conatur ei persuadere leges aeternas non scriptas deorum numquam neglegendas esse et plus valere quam praecepta eius. Sed obstinatus Creon pertinaciter imperia sua, quae summa existimat, retinens in sententia sua perseverat. Maxime ei displicet a muliere consilia accipere et putat virum non decere mulieri oboedire. Cum Antigone constans nullo modo leges divinas laedere velit, a Creonte capitis damnatur, quamquam sponsa Haemonis, filii Creontis, est.

Ne monita quidem Tiresiae, vatis venerabilis, Creon primum observat et seni illudit et maledicit. Sed cum Tiresias vaticinans Creonti horribiles res adversas praedicit, rex concussus et perterritus mentem mutat, sed sero probum cognoscit: Antigone in carcere se suspendit, etiam filius Haemon et uxor Eurydice se ipsos interficiunt. Sero Creontem suae pertinaciae paenitet, et solus miserque relinquitur.

Ecce duo exempla mulierum egregiarum, quae interritae consuetudinibus suae aetatis, quibus feminae viris oboedire debeant, obsistunt. Medea non tolerat perfidiam viri, qui se ingratum et arrogantem egoistam praebet, maximum pretium solvens: filios amisit. Antigone non tolerat se ab officiis

erga fratrem mortuum prohiberi et divinas leges aeternas laedi praeceptis viri obstinati, superbi, potestate caecati, maximum pretium solvens: vitam amisit.

Per omnia saecula exempla Medae et Antigonae tradita et a poetis tractata sunt. Nostra aetate quoque quaestiones et argumenta, quae Sophocles in 'Antigone' et Euripides in 'Medea' proponunt, non minus praesentia sunt.

Daniel Weissmann



Medea filios interficit
(Amphora pictoris 'Ixion' nominatus)



Antigone ante Creontem regem ducta
(Imago vasis Attici)



EPIGRAMMATA MULIEBRIA

Lucretia ad Sextum Tarquinium

Nulla suo mulier magis est laudata cruore,
sanguine nulla suo condidit imperium:
Me hoc fateor debere tibi, scelerate minister,
Fortunae semper Romulidis facilis.

Sempronia ad Catilinam

Femellas sceleri tanto sociare volebas,
non ut earum homines participes fierent,
indole sed quoniam muliebri nil reperiri
noras deterius perfidiusve animo.

Lesbia ad Catullum

Ne mihi tot dederis vitio levitatis amores,
in quos plus nimio, dum vigui, cecidi;
ausim membra licet maribus substernere multis,
reexisti solus pectoris ima mei.

Cleopatra ad Octavianum

Non, Auguste, pudet tantum me cladis amarae,
qua cessi quondam navibus Actiacis,
quantum quod nequii tecum concumbere, binis (1)
ut latis palmis adicereris item.

Cynthia ad Propertium

Ne defuncta quidem vita regnare, Properti,
in te desieram versibus inque tuis;
vel cum versus eras maiorum ad gesta canenda,
tum rediere elegi sponte sua ad dominam.

Iulia minor ad Ovidium

Hic labor assiduus, quo nunc premor, inde, magister,
exoritur cum te fata tulere procul;
nam cui munditias didici lepidas et amoris
lascivi leges exule te immerito?

Agrippina ad Neronem

Artes tum pravas docui te, perfide fili:
nunc diras poenas ipsa luam merito.
Haud secus urentis tauri inventor malus (2) olim
expertus prior est ipse reperta sua.

Epicharis ad Lucanum

Prodideras matrem, inconstans leviorque poeta,
sic removere studens letiferum graphium;
sustinui saevos ego membrorum cruciatus,
ne traherem ignotos exitium ad miserum.

Alcestis ad Admetum

Ut balans agnus certam mortem timuisti,
uxorem pro te lentus obire sinens;
me teneat posthac fato, qui me abstulit atro:
Alcides tanta coniuge dignus erit!

Medea ad semet ipsam

Debit Hypsipyles tristis casus documento
esse mihi: verum nil aliena iuvant
femineos exempla animos ardore flagrantes,
expertae nisi sint fellis amaritiem.

Amata, regis Latini uxor, ad filiam Laviniam

Alter ab Iliacis divum cultor pudibundus
oris huc venit consimilis socero;
noli tam misere consumere, gnata, iuventam:
fata utinam Turno nubere me sinerent!

Helena ad Menelaum, Deiphobo nefarie obtruncato

Annorum longo spatio iam restituam me
ipsa, marite, tibi clara pudore meo:
hoc testatur enim nuper cruor iste necati
Priamidae, quasi dos nunc renovetur hero.

- (1) Agitur, ut par est, de amatoris in Caesarem atque Antonium triumphis.
- (2) De Perillo agitur, pravo tyrannicae (scil. Phalaridis) saevitiae ministro.

Orestes Carbonero



DE SAPPHO, POETRIA TEMPORIBUS ANTIQUIS CELEBERRIMA



Egregiarum mulierum temporibus antiquis inter celeberrimas sine dubio illa poetria nomine Sappho est, quae septimo saeculo a.Chr. n. exeunte (600 a.Chr.n. circiter) in Lesbo insula vixit. Pauca de vita eius scimus, et carminum eius unum tantum integrum nobis traditum est, praeterea multa fragmenta maiora vel saepius minora. Tamen ex iis dulcedo emanat nos quoque, qui 2600 annos post vivimus, commovens. Sappho est nata in urbe Ereso in Lesbo insula. Magnam partem vitae Mytilenis egisse videtur. Nonnulla de vita eius ex fragmentis carminum cognoscere possumus: Duo

fratres ei esse videntur nominibus Larichos et Charaxos, filia quoque Cleis appellata, de qua Sappho magno amore et suavitate loquitur quodam fragmento (152 D):

"Ἔστι μοι κάλα πάρις χρυ-
 ολοισιν ἀνθέμοισιν
 ἐμφέρη(ν) ἔχουσα μόρφαν
 Κλέις (ᾤ) ἀγαπάτα
 ἀντι τὰς ἑγῶνδὲ Λυδίας
 παῖσαν οὐδ' ἐράναν

In Latinum versum: "...est mihi puella pulchra, floribus aureis similis forma, Cleis amata. Cum qua nolim permutare Lydiam totam, neque amoenam...."

Per tota saecula temporum antiquorum homines opera Sapphus saepe legebant. Non modo ex carminibus notas ad vitam poetriae pertinentes excerpserunt, sed etiam multa nobis tradiderunt, quae plus fabulae fictae quam vera biographica existimanda sunt. Imprimis de Sapphus morte fabula ficta nota est: Propter amorem cuiusdam Phaonis, qui eam repudiavit, Sappho de saxo insulae Leucatae in mare se praecipitavisse narratur. Quam fabulam apud Menandrum primum legimus, postea Ovidius poeta Romanus (43 a.Chr.n. - 16 circiter p.Chr.n.) in carmine titulo 'Heroides' et poeta Austriacus Franciscus Grillparzer (1791-1872) dramate titulo 'Sappho' ea usi sunt.

Praeclarus est ille circulus puellarum amabilium, quas Sappho Mytilenis in domo sua circum se congregavit et cum quibus Musis se dicavit. Cum puellis, quas maxime diligebat, ludos, cantus, choreas, carmina agebat, et amicas iuvenes his artibus instruebat in societate amicitia et amore iuncta vivens, donec illae nupturae abierunt et circulum reliquerunt. In circulo amicarum, quarum tempore praetereunte aliae abierunt, aliae advenerunt, saepe Sappho amans in unam se convertit. Carminibus de animae ardore et amore loquitur, de desiderio tenero et vehementi concussu animae cantat. Qui amor sine indecentia possessionem et consociationem animae amatae cupit. Illa aetate gaudium externae pulchritudinis, quae sensibus percipitur, formae et ardor animam complectendi non dividebantur.

Etiamsi maxima differentia est inter Sapphum et Platonem philosophum, tamen philosophus quoque iter ad summi boni pulchrique cognitionem incipit pulchrum, quod sensibus percipitur et desiderium inflamat, spectans.

Carmina Sapphus ad vitam circuli eius pertinent, ad vitam communem cum puellis suis: de nuptiis, secessu amicarum nubentium, memoria vitae communis cum eis actae, desiderio, simultatibus cantat. Maxima arte intimos sensus subtilis animae et ardorem amoris descripsit tali modo, quali numquam antea aliquis fecerat, velut illo carmine, quod Catullus poeta Romanus Latine imitatus est: "Ille mi par deo videtur..." (Carm. 51). Praeclarum quoque illud, quo Amorem deum (Graece Eros) appellavit: dulce-amarum monstrum (γλυκύπικρον ὄρπετον).

Ut Sappho sensus animae ipsos, sic naturam rerum quoque singulari modo descripsit: Nemora deae, choreas luna plena circum aram deae, noctes amoenas sub luna, quae argenteum lumen supra undas maris vel prata floribus odoratis spargit, astra in caelo fulgentia.

Plato philosophus Sapphum decimam Musam nominavit hoc epigrammate:

Ἐγγέα τὰς Μούσας φασὶν τινες ὡς δλιγώρως
 ἦνιδε καὶ Σαπφῶ Λεσβόθεν ἡ δεκάτη.

Latine: Musas esse novem quidam dicunt neglegenter
 ecce etiam Sappho Lesbia quae decima.

Daniel Weissmann



DE FEMINARUM CONDICIONE APUD VETERES GRAECOS ROMANOSQUE

Difficile est de feminarum condicione antiquis temporibus vitam agentium scribere, nam feminae vix aegreque investigari possunt. Quod mirum non est. Eruditio earum negligitur. Nullum ius habentes feminae rarissime in publicum prodeunt. In vitam domesticam relegantur. Etiam domi vix animadvertuntur. Raro feminae de se ipsis scribunt. Certum est permultas earum in operibus poetarum aut tragoedorum apparere. Sed semper viri sunt, qui de condicione feminarum

scribunt, et id, quod a viris scribitur, ex iudicio eorum ostenditur. Poetae tragici feminas extra ordinem agentes oculis nostris proponunt. Sed condicio Medae aut Clytaemnestrae cum vita cuiusquam feminae Atheniensis aequari non potest. Feminae modo partes in vita virorum agunt. Ipsarum causa non ostenduntur. Ita femina quaedam, specie matris, sua causa non ostenditur, sed virtutem filiorum demonstrare debet.

Fontes studii rerum antiquarum nos non multum de femina vitae modicae docent. Plerumque dominae nobiles, deae praeclarae, meretrices in operibus tesselatis imaginibusque praebentur. Haud ignoramus feminas eas, quarum negotia ad res virorum pertinent. Novimus feminas in re publica versantes velut Cleopatram aut feminas meretrices sicut Laidem, mulierem Corinthiam. Constat temporibus antiquis numerum virorum altero tanto maiorem fuisse numero feminarum. Permultae puellae modo natae necabantur, cum pater earum dotem futuram comparare non posset. Puellae Graecae quattuordecim annis natis, puellae Romanae duodecim annis natae in matrimonium collocabantur. Itaque magnus numerus mulierum aetate immatura partum edebant. Qua re valetudo mala efficiebatur. Pleraque mulieres triginta quinque annis natae mortem obibant. Persaepe enim partum edentes de vita decedebant. Persaepe eis victus vilior praebebatur.

Barbara Maier



CUR MULIERES IN ECCLESIA CATHOLICA SACERDOTES FIERI NEQUEANT

In Helvetia aliisque terris citra Alpium iugum sitis magnus tumultus factus est (et fit) contra litteras illas papales, quae "Ordinatio sacerdotalis" inscribuntur, quibus Ioannes Paulus papa II. definitive statuit, ne mulieres umquam in ecclesia romano-catholica sacerdotes fieri possent.

"Num mulieres minus dignae sunt quam viri? - Num Deus mulieres minus amat quam viros? - Nonne homines omnes pares sunt prae Deo? - Cur iste vir vetus et morosus (papa scilicet) mulieres tantopere odit, ut earum iura supprimat?" Tales et alterius generis quaestiones in nostris regionibus exortae sunt et incensae ad multis diurnariis, qui, etsi plerumque sunt extra ecclesiam, tamen de rebus ecclesiasticis iudicare et lamentari audent.

Ad quae ecclesia, quae fidelibus catholicis veris et sinceris est mater et magistra, corpus Christi mysticum, condita et creata a Domino nostro ipso Iesu Christo, respondet et docet haec:

- Re vera omnes homines pares sunt, quia legitur in Sacra Scriptura: "Et creavit Deus hominem ad imaginem suam; ad imaginem Dei creavit illum; masculum et feminam creavit eos" (e libro Geneseos, capitulo primo, versu vicesimo septimo). Nemo autem negabit differentias esse inter viros et mulieres, differentias quidem, quae non spectent ad dignitatem, sed ad naturam et munera implenda et ad constitutionem corporum et animarum. E. g. mulierum tantum est infantes parere. Quod donum excellentissimum a Deo non viris, sed mulieribus datum est! In creanda vita mulieres sunt adiutrices Dei!

Sic etiam in ecclesia officia mulierum non eadem sunt, quae virorum: Par dignitas - diversa munera.

-Iesus Christus ipse in gregem apostolorum non vocavit nisi viros. Ne Maria quidem, quam ecclesia matrem Dei et reginam caelorum et mediatricem inter Deum et homines veneratur, 'apostola' facta est.

Sunt, qui affirmant Iesum condiciones saeculi sui respexisse et ea de causa nullas mulieres in numerum apostolorum vocasse. Hoc vero argumentum minime valet, quod Iesus saepe condiciones sui saeculi non respiciebat: Aegrotum die Sabbati sanavit, quod Iudaeis legem moysaicum observantibus nefas erat. Cum mulieribus non aliter loquebatur et sermocinabatur atque cum viris, etsi ceteri magistri sapientes (Hebraice: rabbini) cum mulieribus loqui numquam dignabantur. Mercatores et faeneratores pharisaeis et doctis invitatis e templo fugavit. Cum publicanis et scortis et peccatoribus loqui et cenare solebat, dum Iudaei 'mundi' tales 'immundos' ne tangunt quidem. Sic multis modis mores suae

aetatis humanos neglegebat, quod Dei legem caritatis imponere volebat.

Tamen e mulieribus, quae eum sequebantur, ne unam quidem 'apostolam' fecit. Qua de causa? Plane perspicere hoc mysterium non possumus, attamen explicare conari:

Sacerdos catholicus - aliter ac pastor (animarum) protestanticus - consecratur ad sacra mysteria celebranda: Cum panem vinumque in corpus et sanguinem Christi mutat, cum confitentibus dimittit peccata, cum benedicit et consecrat, non e semetipso operatur, sed Christus Dominus per sacerdotem agit. Sacerdos personificatio quasi quaedam est Christi, plenipotencia divina munitus. Quae non spectat ad personam: Sacerdos errare et peccare potest sicut ceteri homines. Spectat autem ad munus sacerdotale: Christus sacramenta sua sancta non aliter largitur nisi per sacerdotem consecratum. Christum vero masculini sexus fuisse (et esse) constat. Ergo a viro tantum personificari potest.

Quae argumenta satis complexa neque omnino dilucida eis, qui fidem catholicam veram non colunt, sed nihilominus sufficientia ecclesiam mulieres sacerdotes consecrare ventant.

Repeto: Dignitas mulierum non tangitur dictis. Nemini - ne viris quidem! - ius est sacerdotii potiendi. Sacerdos fit, quisquis a Deo vocatur. Quis autem audeat Deo praescribere, quem sacerdotem eligat?


Sunt, qui timeant, ne relationes oecumenicae inter confessiones varias hoc edicto papali disturbentur. Quod mihi parum verisimile videtur. Nos quidem Helvetii de oecumenismo inter catholicos et protestanticos tantum cogitamus. Ecclesia mundana autem etiam de Christifidelibus orientalibus, iisdem orthodoxis, cogitat. Qui autem sacerdotium mulierum numquam tolerabunt. Sic progressio oecumenica cum orthodoxis maxime perturbaretur, si ecclesia catholica mulieres sacerdotes consecraret.

Ex ecclesia Anglicana denique multi episcopi, sacerdotes fidelesque laici in ecclesiam catholicam transmigraverunt, quod Anglicani sacerdotium muliebrem permiserant.

Roma locuta - causa finita: Ne obliviscamur Iesum Petro apostolo claves regni caelorum tradidisse verbis his: "Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum in caelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum in

caelis" (ex evangelio secundum Matthaeum, capitulo sexto decimo, versu undevicesimo). Successores Petri apostoli autem sunt papae, qui eadem plenipotencia sunt muniti qua Petrus ipse. Non theologis, non diurnariis, non quibuslibet hominibus claves Iesus claves caelorum dedit, sed Petro eiusque successoribus! Hoc unum argumentum iam praevallet adversus omnia argumenta eorum, qui sacerdotium muliebrem fas esse ducunt.

Martinus Meier



ALIQUID DE PUERITIA MEA

Bernae natus sum, Curiae adolevi et Turici dimidio saeculo ante diem hodiernum habito. Turicum est urbs Helvetiae, quam maxime diligo. Non solum, quia urbs est Helvetiae maxima, sed etiam propter vias pulchras, ecclesias et propter lacum Turicensem et propter montes non nimis altos circa, sed tales, ut caelum amplum cum Iove sereno splendere possit. Curia, quod oppidum parvum est, montibus altis circumclusum est mihi que semper displicebat. De Berna nihil recordor, quia vix natus eram, cum parentes mecum Bernam relinquerent transaturi Curiam, quod est oppidum parvum, sed capitale pagi Grisonorum.

Curiae habitavimus in parte oppidi, quae appellatur 'Altus collis' (Hohenbühl) ibique infra viam domus nostra erat, sicut ad domicilium nostrum parva scala descendendum esset. Cum puer sex annorum semper timebam, ne mater mea, cum in oppidum abisset aliquid emptura, aliqua de causa non iam reverteretur, sed aliquam causam non revertendi cogitare non poteram. Attamen nihilo minus metuebam, et interdum tali modo metu eram captus, ut solacium iam non reperire possem. Praeter me nemo domi erat, qui me consolari posset. Aliquando mater mea iterum in urbem abierat, ut aliquid

emeret. Ego solus domi mansi, ante fenestram sedens, per quam in viam spectare possem, qua in urbem descendi poterat. Urbs enim centum circiter metra infra domum nostram erat. Ante me in corona fenestrae chartam habebam, in qua picturam alicuius bestiae faciebam. Cum autem mater mea amata non tam celeriter reverteretur quam speraveram, tristis factus et valde metuens picturam facere destiti et per fenestram in viam spectavi, ut matrem revertentem viderem. Multum temporis iam transierat neque mater mea apparuit. Qua de causa angor meus tantopere auctus est, ut surgerem et, quamvis nescirem, quid facere possem, foras ante domum currerem et aliquam dominam mihi ignotam interrogarem, num matrem meam vidisset. Domina autem, nihil a me, puero ignoto, sperans et interrogata paene territa est neque respondit. Deinde iterum domum et conclave meum intravi et ante fenestram consedi spectaturus in viam, ut matrem meam revertentem viderem. Iterum plus hora transiit neque mater mea revertit. Qua de causa angor meus tantopere auctus est, ut in conclave passus huc et illuc facerem. Quid aliud facere poteram? Diutius erat exspectandum mihi, qui ignoraret, quid matri accidisset. Paulatim timere coepi, ne qui adventurus esset nuntians matrem in via cecidisse et in valetudinarium vectam esse. Paulo post tabellarius venit et epistulam apportavit patri. Praeterea nihil audivi nisi horologium in pariete, quod horam nuntiavit. Tandem, cum exspectare et timere mihi iam longius esset, in culinam cucurri, ut potum coffeae, qui ab ientaculo superesset, sorberem. Tum iterum in viam exiit puerum aliquem quaesiturus, quocum colloqui possem. At nullus puer inveniri potuit, cum aliis diebus multi pueri in via essent. At amita mea, quae in domo vicina habitaret, me consolari studebat dicens: "Espera etiam mediam horam! Mater tua apparebit sine dubio. Non habes, cur spem dimittas. Certissimum est matrem tuam brevi post adventuram esse. Curia est oppidum parvum, at multa negotia habet, ubi feminae videre volunt, quid emere possint." Consolatio amitae non erat magna, attamen in conclave meum redii et denuo picturam facere continuavi, ita ut minus constanter timerem, ne mater mea non reverteretur. Perrexi picturam in charta faciens, cum repente passus in scala audivi. Tum per fenestram in scalam spectans subito matrem

amatam conspexi domum intrantem. Surrexi de sedia, cucurri ad matrem amplectendam, lacrimas vix retinens, ut mater ipsa. Tum mihi explicavit dicens se cum Stephano convenisse eumque loquacem, ut est, non prius deserere potuisse. Mater autem sensit, quam timidus fuisset; qua de causa promisit se non iam solam in urbem ituram esse, sed semper mecum.

Emanuel Bernard



SOLUTIONES

De solutionibus nobis missis sortes coniecimus. Ecce illi, qui primum, secundum, tertium praemium accipient:

<u>primum praemium:</u>	<u>secundum praemium:</u>	<u>tertium praemium:</u>
Dr. Peter Litwan Sevogelstr. 49 4052 Basel	Kathrin Bratschi Gumiweg 9 3515 Oberdiessbach	Bruno Schneiter Rütiweg 129 3072 Ostermundigen

His tribus victoribus ex aenigmate cordialiter gratulamur!
Praemia eis mox mittentur!

Rumoris Varii domus editoria

¹ C	² A	³ R	⁴ M	⁵ E	⁶ N
² A	³ L	⁴ E	⁵ O	⁶ N	¹ I
³ R	⁴ E	⁵ P	⁶ T	¹ A	² T
⁴ M	⁵ O	⁶ T	¹ A	² R	³ E
⁵ E	⁶ N	¹ A	² R	³ R	⁴ A
⁶ N	¹ I	² T	³ E	⁴ A	⁵ T

- opus poetae, nostra aetate etiam nomen mulierum
- qui libenter ludit (Dat.sg)
- quomodo serpens vel testudo procedit
- huc et illuc agere
- omnia nuntia vel refer!
- fulgeat

AMBITUS

PARS I

SIVE DESCRIPTIO INTERIORIS URBIS BASILEAE LUDUS LATINUS DELECTANDI MAGIS QUAM DOCENDI CAUSA CONCEPTUS

conscripsit Petrus Wolf, photographis exornavit Petrus Mangold,
impressit Petrus Bauer, auctor fuit ab initio Marcus Kutter

Gymnasio, quod est Basileae in arce
quadringentesimum annum celebranti MXIM

Initium capiat ambitu¹ a Basilica Cathedrali et gymnasio nostro, quod Humanisticum nominare vereor, quia hoc vocabulum et a Latinitate abhorret et nostra aetate in ambiguitatem cecidit: etenim quam quisque optimam esse eruditionem sibi persuasit, eam illa voce extollit atque nobilitat.

BASILICAM MAIOREM describere tantum a nostris facultatibus abest, ut in eam ne introeamus quidem, relicto etiam Des. Erasmi epitaphio, humanitatis et Latinitatis praestabili exemplo. Templi exteriores partes, imprimis figurae et ornamenta, immissionibus, ut vocant, nostrae aetatis plus afflictatae sunt quam ulla ruina praeteritorum saeculorum. Qua de causa in Valle S. Albani FABRICA TEMPLO MAIORI CONSERVANDO numquam cessat sa-

xa exhalationibus noxiis peresa reficere.

Praetereunti frontem aedis sacrae et in VIAM EQUITUM flectenti ad laevam apparet statua OECOLAMPADII manu tenentis Biblia Sacra quasi fundamentum sincerae fidei. Nam «author evangelicae doctrinae in hac urbe primus» appellatur Oecolampadius in Tabula Reformatoria quae dicitur. Haec tabula, cuius mediam partem obtinet Oecolampadius, intra murum in MAIORIS COEMITERII AMBITU affixa est. Supra tabulam solis imago expressa est inscripto anno Reformationis MDXXIX, circumscripto hoc disticho:

*Ecce annum quo pulsa fuit
caligo papatus ac vitae affulsit
sol, Basilea, tibi.*

In Maioris Coemiterii Ambitu consideremus inter tot et tam clara

epitaphia duo quae ad gymnasium nostrum attinent: alterum THOMAE PLATERI, qui ante gymnasium anno 1589 conditum «Scholae Mariae» (Templum enim Maius Mariae dicatum fuerat) scholarcha «in arce» fuit. Laudationem fecit Felix Platerus archiatros², qui et ipse hoc loco sepultus est. Alterum est HIERONYMI LINDERI epitaphium, in initio Horatii carmen primum imitans, deinde Linderum in Belgarum exercitu merentem sola virtute «ad generalis, ut vocant, maioris dignitatem provectum» praedicans; neque autem commemorat LEGATUM LINDERIANUM, ex cuius usuris gymnasii classici discipulis doctrina et studio eminentibus quotannis praemia tribuntur; quod fieri non iam posset, nisi eorum qui dicuntur «Husgenossen» collegium, cuius confrater Hieronymus Linderus erat, mira liberalitate pecuniam ad libros parandos destinatam augetet.

Contigua Templo Maiori est EPISCOPALIS CURIA³, antiquissima fere quae restet urbis habitatio, nunc administrationi Ecclesiae Evangelicae Reformatae addicta.

Ex hoc exeuntis mediae aetatis monumento aspiciens id quod trans Viam Equitum est contra putes te Florentiam eodem tempore maxime florentem transpositum. Sed istud tam magnificum opus abhinc centum fere annos ad usum scholarum exstructum est; nunc facies futura urbis sub isto tecto delineatur⁴.

In area autem, quae circa est, post fontem aliquem tectum quoddam vix e solo exstat; causa eius rei nobis ab archaeologis demonstrata et confirmata est

paucis annis ante: fundus ibi depressus est tum cum Raurici illam fossam effoderunt, quae anteposita MURO GALLICO oppidum Rauricum muniebat a latere aperto,



Johannes Oecolampadius, reformator ecclesiae Basiliensis. Nomen Husschen (Husschen «domuncula») falsa interpretatione fiebat Hus-schein «domus lumen», graece oikou lampas. Statua anno 1862 facta ex adverso posita est, ita ut Oecolampadius adspiceret Templum Maius (ubi parochus fuerat), postea huc translata, anno 1979 iubilaeo Reformationis (1529) purgata.

¹ Rundgang

² Stadtarzt

³ Bischofshof

⁴ Amt für Stadtplanung

ubi nulla declivis ac praecipua loci natura aggredientes arcebat.

Apud DELPHINUM, ubi res hereditariae geruntur, ad dextram flectimus in VIAM ARBUSCULAE («Arbusculam» Basilienses IUDICIUM vocant ex vicinitate arboris). Qua in via a sinistra habemus domum «zum Luft» (quod caveo Latine reddere; videtur enim ex nomine cuiusdam Lutfried derivatum et depravatum), ubi Hieronymus Frobenius, Johannis filius (vide infra), Erasmum Roterodamum, ultimum vitae annum Basileae degentem, hospitio exceperat.

A domo «zum Luft» per eiusdem nominis viam divertimus ad Museum Monumentorum Antiquorum, nuper renovatum, amplificatum, collectione «Ludwig» incorporata auctum, in complures domos vicinas inter se coniunctas distributum. Exponuntur antiquae artis reliquiae, ut statuae, monumenta sepulcralia, vasa arte illa eximia Graecorum ficta figurisque ornata, in his crateres, amphorae, scyphi, hydriae; praeterea sigilla et ornamenta aurea, argentea, ahenea, lutea (id est: e terra coctili facta); item vitra nummiquae ampla descriptione et doctrina illustrati.

Paululum a museo in trivio illo, quod a mensis argentariis nomen duxit, incipit LIBERA STRATA, qua

iam exeunte Romanorum imperio a Castro Rauracensi Argentoratum⁵ ibatur. Priusquam Liberam Stratam totam descendimus, digressi ad sinistram, ubi via demissior ad theatrum ducit, muri molem avulsam videmus, quae an ad episcopi Burchardi «compagines murorum» XI saeculi pertineat, novissime dubitatum est.

Peregimus ad NUDIPEDUM ecclesiam et plateam. Nudipedes erant monachi ordinis Franciscanorum. Platea etiam Suina vocatur, quod ibi olim in mercatu sues venibant. Basilica Franciscanorum, post Basilicam Cathedralem amplissima Basileae aedes sacra, abhinc centum fere annos a destructione aegre servata et in usum MUSEI HISTORICI traducta, nostra memoria in priorem speciem redacta, exempla et documenta Basileae antiquae usque a Gallis et Romanis spectanda et legenda exhibet.

Repetamus Liberam Stratam, omis-
sa ea via quae circa annum 1900 cooperto rivo Birsig facta et in honorem consulis R. Falkner nominata est. Liberam Stratam dum descendimus, a dextra animadvertimus domum «ad CLAVEM» (clavis erat signum collegii mercatorum). Iuxta, in ostio angiporti eiusdem nominis, catena affixa est, qua ca-

⁵ Strassburg

tena nobiles et clerici in tumultibus aditum arcis obstruebant.

Libera Strata exit in forum sive MERCATUM, ubi holera, legumina, poma, interdum orientis condimenta venditioni exponuntur, nonnumquam scurrae prodeunt, demonstrationes, ut vocamus, saepe fiunt.

CURIA civitatis Basiliensis, quo senatus et magistratus ad moderandam rem publicam conveniunt, non uno tempore aedificata est: media pars initio saeculi XVI, post civitatem in foedus Helveticum

receptam, exstructa est; uno saeculo post ad sinistram pars minus ampla est addita; turris, quae est ad dextram, et extrema sinistra pars initio nostri saeculi adiunctae sunt. Nostra memoria (annis 1977-1982) splendor huius aedificii restauratione sumptuosa redintegratus est.

In aula curiae est statua MUNATII PLANCI, qui, quoniam in monu-

mento sepulcrali Caietae sito se coloniam deduxisse Rauricam praedicat, conditor urbis Basileae habebatur. Statuam fecit et pro civitate⁶ accepta grato animo urbi Basileae anno 1580 dedicavit Hans Michel, sculptor Alsaticus, Argentorato oriundus. Inscriptio sumpta est ex illa inscriptione quam Beatus Rhenanus Selesta-diensis⁷ uno saeculo ante murali cuidam Munatii Planci imagini pictae addiderat. Unde elucet, quam arte⁸ urbs nostra cum regione Alsatica coniuncta sit.

Ex infimo mercatu flectimus in ANGIPORTUM MORTUORUM, quod nomen habet a funeribus: illa enim via mortui e valle in S. Petri coemiterium efferebantur. Domus «ad SELLAM» (nr. 3) olim humanioribus studiis splendebat; nam cum Johannes Frobenius typographus officinam ibi instituisset,

⁶ Bürgerrecht

⁷ heute: Sélestat (Kreisstadt im Dep. Bas-Rhin)

⁸ artus = eng



Lucius Munatius Plancus, Tibure (Tivoli) oriundus, bello Gallico Caesaris legatus, anno ante Chr. 44 ipse in Gallia imperator coloniam deduxit Rauricam. Eius cum Cicerone commercium epistularum ad bi-millennarium urbis Basileae anno 1957 edidit Gerold Walser. Eundem Plancum Horatius (carm. 17) monet tristitiam vitaeque labores finire bibendo.

inter alios Erasmus Roterodamus eo saepe commeabat. Nunc medicamentariorum⁹ museum eodem loco collocatum est. Eiusdem J. Frobenii epitaphium trilingue (Hebraice, Graece, Latine) ab Erasmo conceptum invenies, si clivum ascenderis, in S. Petri templo.

Cum per FORUM PISCATORIUM ad Rhenum fluvium perveneris, eo loco ubi naves excursionibus aptae appellunt fontem conspicias cum figura pueri, qui manu piscem attollit, tamquam significans pisces in Rheno non omnino perisse.

PONTI MEDIO Sacellum Iugale¹⁰ impositum est, iam aetate media notatum, saepe forma mutata renovatum. Aliud minus speciosum quondam in ponte erat, teste Paulo

⁹ Apotheker
¹⁰ Käppeli-Joch

Maximas gratias agimus auctoribus Basiliensibus libelli titulo «AMBITUS», tribus Petris (Petro Wolf, Petro Mangold, Petro Bauer), qui nobis comiter permiserunt hoc textum et nonnullas imagines in RUMORE VARIO divulgare. Non minus Bruno Schneiter gratias agimus, qui nobis textum misit et hanc permissionem curavit.



Cherler, parochus¹¹ in vico Binzen, qui anno 1577 «duas in ponte latrinas» memorat, additis his versibus:

*Pons etiam secreta tenet loca bina,
coloni in quibus exonerant olidas
in flumine faeces, ventrorum¹² quotiens
sors insuperabilis urget.*

Prospicientes ad Minorem Basileam in capite pontis HELVETIAM matrem videmus, qualem e denariis nostris novimus: depositis rebus suis, scuto, lancea, pallio, cista, ex itinere et visitatione urbis quiescens cursum Rheni oculis sequitur. Num patriae eam taedet, sicut plerosque poetarum scriptorumque nostrorum?

(Pars altera in proximo libello sequetur)

¹¹ Pfarrer
¹² statt «ventrium»

RISUM TENEATIS, AMICI?

Potest fieri

Professor: Tute, heu, non potes dormire hoc loco, studiose, neutiquam inter acroasim meam.

Studiosus: Attamen potest fieri, si tu, professor mi, voce submissa loquereris!

Si inscriptionem patris haberem...

Puer: Si inscriptionem cursualem patris tui haberem, ab eo mihi te in matrimonium peterem.

Puella: Doleo, quod id fieri non potest, nam mater mea ipsa illam numquam comperire potuit.

Infans scire non potuit

Pater: Quomodo fieri potuit, ut infans vester ante nuptias natus est?

Filia: O pater mi, infans re et veritate scire non potuit, quando tandem nuptias haberemus.

Urbanitas incommoda

Alter: Liceatne mihi te adiuvere amictum tibi induere?

Alter: NIHIL quidem impedio, sed forsitan postea incommoda tibi facerent.

Alter: Quid ita? Credere non possum!

Alter: Verum tamen dico, quoniam quidem amictum non meum est.!

Iam audivisti?

Alter: Iam illud audivisti? Contegulator (Theodisce: Dach-decker) ab autocineti obtritus est.

Alter: O illum miserrimum infelicissimumque, o fallacem hominum spem, hancine rem terribilem! Ne in tecto quidem his nostris diebus homo tutus securusque est!

Anthropofagi inter se

Anthropofagus alter: Iamne missionarius novus apud te fuit?

Anthropofagus alter: Sic, ita est et ego eum extemplo retinui ad epulas dandas!

Maritus insane stomachatus est

Alter: Dic mihi, amice Claudi, tunc sponsalia fecisti interea cum Agnete? Et quid parentes eius de ea re dixerunt iudicaveruntque?

Alter: Parentes nihil sane, sed maritus eius insane stomachatus est!

Opinio mira

Captivus commodule in carcerem inclusus quaerit custodem.

Captivus: Custos, dic mihi qua re omnibus fenestris transennae sunt affixae?

Custos: Securitatis causa scilicet.

Captivus: Id re et veritate risu dignum esse puto. Quisnam hic in carcerem irrumpere in mente haberet?

AMICUS



Seminaria «Latinitatis vivae» anno 1995^o futura

Morsacense et Vavriense (Belgicum)

59. Morsacī [Morschach] in Helvetiā, qui locus saluberrimus aliquibus centum quinquaginta metris supra lacum «Quattuor Pagorum» situs est, unde montium clivi bene accessibiles sunt maximeque mirabilis prospectus ad lacum ipsum et ad montes circumiacentes praebetur.

30.7.-5.8.1995

60. Vavriense [Wavre] in Belgica, qui locus ab urbe Bruxellis aliquibus viginti quinque chiliometris abest, ubi praeter satis spatiosum oecum institutorium multae commoditates exhibentur.

11.8.-18.8.1995

Sunt autem seminaria nostra «Latinitatis vivae» prima huius generis, quae inde ab anno 1973^o intra Germaniam et extra instituebantur.

Interea vero alibi quoque complura seminaria quaedam offeruntur, ubi praeter alia non paucae acroases qualitatis variae fiunt. Sed in nostris his seminariis participes singillatim inducuntur, ut *Latine loquantur*, id quod in scholis vel alibi vix fit. Sententiae autem et locutiones necesse est sint *vere Latinae*. Itaque etiam neologismi, id est verba novata, sint

coloris vere Latini, ut et pronuntiatus vere Latinus proponitur et exercetur. Harum rerum problemata suscipiuntur solvenda, cum necessarium sit, ut etiam de condicionibus rebusque temporis nostri bene convenienterque Latine loquamur. Maximi tamen momenti est ipse *usus linguae Latinae* iugiter indesinenterque exercendus.

Themata autem, quae in seminariis tractantur, sunt et hilaria et seria, et cottidiana et scientifica, et historica et hodierna.

Denique moderator horum seminariorum erit *Dr P. C. Eichenseer*, qui iam ab anno 1973^o talia seminaria suscepit prosperrime moderanda, quippe qui esset Latinitatis omnium aetatum vere peritus. Eius cooperatrix, *Drrix Sigrides Albert*, iam ex compluribus annis eos imprimis, qui primum adsunt, sed etiam alios, delectabiliter diligenterque in consuetudinem Latine loquendi inducit.

Denique pro ipsa *institutione unius septimanae* 170 marcae Germanicae solvendae sunt, quae pecuniae summa mittatur ad hanc sedem nummariam (*pecunia pro pernoctatione et victu in deversorio solvenda est*):

VOX LATINA

18353-661

Postgiroamt Saarbrücken

BLZ 590 100 66 (BR Deutschland)

Morsacense seminarium Helveticum qui participaturi sunt, mittant epistulas chartulasque interrogatorias nominaque dent definitive, si tardissime duobus mensibus ante initium, ad

SOCIETATEM LATINAM

Universität - FR 6.3

Postfach 151150

D - 66041 Saarbrücken

(numerus telephonicus:
0681/302-3192)

Vavriense seminarium Belgicum qui volunt participare ratione epistulari vel telephonicā adeant satis mature D.rem Gaium Licoppe Bruxellensem:

M. le Docteur Guy Licoppe

Avenue de Tervueren, 76

B-1040 Bruxelles 4

(numerus telephonicus:
(02) 7350408)

SOCIETAS LATINA



GYNAECEUM DESERTUM

"Iuppiter uxorem mihi non concedit habendam, sed claves tribuit, quibus umquam possum aperire grande gynaecium." Quotiens haec verba locutus annis sum iuvenilibus! Heu miser est, qui solus ac

sine amore suam damnatur ferre senectam!
 Grande gynaeceum iuvenis novi. Resonabant
 atria femineis singultibus atque cachinnis.
 Quot lepidi visus! Quot basia! Quotque calores!
 "Omnibus ex istis tu selige amabiliores",
 nictans urgebat suadenti voce Cupido,
 callidule cunctas Veneres illas mihi dando.
 Quot suaves rixae! Quot pugnae in nomine amoris,
 semper rorifero finitae foedere anhelo!
 Illa domus felix deserta est; gaudia et illa,
 facta cinis, subito fugerunt, pulvis in auram.
 Centum ubi erant dominae, sunt photographemata centum,
 e quibus horrende taeterrima aranea pendent,
 atque torus, quondam calefacti sanguinis aedes,
 nunc lodice puellarum spectra ossea celat.
 Cumque cadaveribus, terroris victima, vivo
 meque piget nostram vane effudisse iuventam.

Iosephus Tusiani, Neo-Eboracensis



TELEVISIFICA RATIO QUAESTUOSA

Aetheriis undis nugas diffundere pravas
 est operae pretium: fis subito locuples.
 Imprimis iuvenes stolidos captare memento:
 cantibus atque choris conciliare vales.
 Adde peregrinas fabellas significatu
 omnino vacuas: vincta iuventa manet.
 Praemia pro facili quaesitu distribuuntur:
 plaudet continue grata caterva tibi.
 Rixantes scurras binos compone frequenter:
 alter in alterius conspuat ora furens;
 tamquam si circi gradibus considerare detur,
 alterutrum tollet turba favore suo.
 At nullum spatium tragico concede theatro,
 nec symphoniacis sit locus anxiferis;
 seria pellantur plerumque negotia, vanos
 ne turbare animos taetricitate queant.

Ridiculi facias regnent ubicumque cachinni:
 postulat id cura mens resoluta gravi.
 Vendendas merces ut avariter effice vulgus
 exoptet, quasi sis dux erus emporii.
 Ista divitias ratione quidem cumulabis,
 et gratus stupidus semper erit populus.

(Elegiacum metrum)

Orestes Carbonero



Aenigma

QVO PRAEMIUM ACCIPI POTEST! QVODQVE AENIGMA RECTE SOLVTVM
 ET RVMORI VARIO MISSVM AD SORTEM REVOCABITVR! DIES VLTIMA
 KALENDIS FEBRUARIIS EST! SOLVTIONES IN UNO LIBELLORUM
 PROXIMORUM DEMONSTRABIMVS.

PRAEMIA SVNT: primum praemium LIBER
 secundum et tertium praemium LIBELLVS

1	2	3	4	5	6
2					
3					
4					
5					
6					



1. nomen mulierum (originis non Latinae)
2. qui per maria vehuntur (Acc. pl.)
3. cum viris se iungent (mulieres)
4. repeto
5. sonantes
6. olim duces nocturni nauatarum (Dat. pl.)

Daniel Weissmann

GIBBER

(Narrationis pars quarta)

Tunc, inter nos, alia sermocinando attingimus. "Pater tuus, Iulia, hesterno die Ioannem visitavit: graviter aegrotat, in eo est ut..." hic breviter tacuit, "quid nobis agere oportet? Insanabili morbo confectus clamat, eiulat, deliris imaginibus oppressus: non quattuor mensibus amplius, postea..." os macie confectum manibus operuit meum vultum parumper intuitus, "Cur?...Dic, Iulia, cur?" - "Meus pater - " ita mulier, exili tantum voce, "...meus pater..." Os autem atris lacrimis offusum nihil amplius fatur. Eius rei causa quae esset, miratus ex ipsis quaesivi. Nihil autem cito respondere, sed in eadem tristitia taciti permansere, eo usque: "...pater meus", colloquium maestissime redintegravimus, "multis abhinc annis se in ultimam quietem contulit nec vitam nec mortem appetens: quae autem dicis, Carole, viribus enixis recuso, recuso...Tibi credere nequeo."

Carolus vix aegreque recedit, illa ad me conversa: "Non ita est, mi Marce. Is coenobii parietes ac solitudinem, ubi reliquam vitae huius partem degeret, elegit, humanis omnibus spretis atque contemptis, divinis tantum indulgens. Quem huius vici incolae gibberum, vituperationis causa, nominant, tamquam is sit, qui calamitates nesciis hominibus adferat"- dolenti verborum gravitate pergunt - "nostris nuptiis, ex quo mater necopinato e vita est erepta, semper obstitit neque erga nos, qua de causa nescio, ulla familiaritate devinctum se esse asseverat. Nonnulli hoc certum amentiae signum putant, nos vero, inenarrabili tristitia oppressi, haec omnia patimur nullo gaudio, nulla spe elati. Ipse enim solus immo ac miser, nulla ope aut propinquorum saltem misericordia fretus, vitam vivere fingit sed, quamquam omnia experti sumus, ut eum ad integram mentis sanitatem et ad nostram prorsus consuetudinem continuis alloquiis exhortationibusque adduceremus, unius tantum hominis amicitiam expetit. Is, singulari humanitate sacerdos, indigenti patri refugium praebuit." - "Quod ei nomen?" sollicitus quaesivi. - "Antonius" responsavit. - "Antonius?" sic ego, "eum bene cognosco..."

Obstupefacti ac dolore simul permoti me mutis oculis ambiunt. "Da operam, Marce", Carolus ad me, "ut nobis tot

tantisque miseriis obcaecatis, quantum poteris, subvenias. Nos ne in occulto quidem queri neque auxilium implorare audemus." - "Nescio, quomodo, sed polliceor vobis mihi hanc rem curae futuram: ad monachorum coenobium me quam primum conferam" nulla mora respondi. - "Ne, serius citius, haec omnia scires, te, dolore prohibitus, fugi. Antonius enim de adventu tuo me certiores fecerat." Hic ego taceo, ii prope sedent, nemo silentium rumpit. Iam multum diei processerat cum, mearum cogitationum angore exacerbatus, discedere statui. "Valere vos omnes iubeo", spiritu carens immurmuro. - "Etiam atque et tu vale" inquit Laetitia lectulo exurgens, "quod si domum nostram attigeris rursus, pericundum mihi, scito, reditum tuum fore." Egredior. Mihi Carolus tristissime valedicit, amplector ipse Iuliam.

Iam vesper paene labebatur, ubi deversorium, quod mane reliqueram, defessis viribus revisebam. Incenatus cubitum eo.

Insequenti die primo mane exivi. Thermopolium aliasque tabernas in via oculis executus sum, sed nautarum nemo, quos sub vesperum in quadriviis vigilantes aspexeram, iam supererat neque eorum voces neque clamores, nisi lagoenarum integumenta catervim adposita, saxorum ictibus plane exinterata. Emuncta gravitate sacrorum aerum modulationes in dormentium aures influunt. His igitur posthabitis gradum celero, ut quam primum perveniam: via quaedam unde maris tractus latissime patet, crebris anfractibus ad montis verticem ducit. Ubi primum ascendere incipio haud levium rerum spectacula conspectui se praebent: ex utraque parte pinus copiosissimae ficis indicis saeptae, ubique palmae agavesque luminis oras indesinenter appetunt, cum solis aestus ardentior urit glaucisque olearum comis se abdit. Montis culmine superato me tacite reptantem per arescentes herbas grylli et cicadae comitantur, lacertae in rimas et caveas propere aufugiunt, dum maximus meridiei ardor adeo flagrans rura peragratur, ut immotas fruticum frondes perrumpere videatur. Ad sacellum arduis gradibus accedo: aedis limine superato, oculi ad sacras effigies crucesque convertuntur ex utroque latere conspicuas. Parietes miro elegantique artificio picti, lychni candido marmore insculpti diu conclave continuis minimisque fulgoribus illustrant et tabernaculum ipsum nitido velamine obtectum venerabilius

efficiunt. Subsella longo ordine disposita nonnullae occupant mulierculae, quae non illepidum aliquid inter se narrant, propterea quod ex earum vultibus tacitus effunditur risus. Haud procul senes adsident duo iidemque aetate proveci, quorum alter, ocularibus vitreis naso ex adunco paene decidentibus, precum libelli pagellas oculis proponens modo laeva modo dextera manu oscitanter volvit, alter, compositis manibus frontem corrugat nescio quid iniucundum cogitans. Altera manu genam sustinens, pectus altera premeus, flexis genibus preces effundo velut si ingentem animi ardorem vix continere possim. Dein, gravi aestu gravique lassitudine correptus aliquantum temporis obdormivi, cum, ex improvise, mea terga leviter pulsantem quandam animadverti: raptim oculos perfrico, oscitor aliquantum, dum e somniorum visis obscuriora quaedam emanant, quae vera apparent.

"Heus", mihi nota vox sonuit, "tunc hic, dulcissime rerum? venistine tandem..." meque Antonius elatis palmis digitisque est complexus, eumque modo laetus, modo nescioquas lacrimulas coercens devincto fraternoque animo sum arctius complexus. In tenebris sancti specus alto silentio quieteque defensi, lapsi temporis memorias ac praesentis casus vicissitudinesque una simul repetivimus ac post diurnas epulas ac postmeridianum somnum, constituta hora, sub palmitum umbra apricamur.

Paululum ex immodico diei aestu nos reficere conabamur, cum hominis cuiusdam cantus a nobis est auditus. "Vox haec, Marce", sacerdos ait, "satis adsueta esse coepit mihi ex quo, quotidie, olitor meus in praediolum se confert rustica opera expleturus." Mihi diligentius inspicienti gibber apparuit. Vox eius taetra quadam modulatione ductim ac subinde plurimis verbis inflectebatur, quasi arrogantem et pertinacem vocis vim exprimere vellet. "Quid mirum", addidit, "si post mortuam uxorem nullius noscendae mulieris occasio ei oblata est. Ignotae mulieri, ut mihi quondam est confessus, gementem cantum edit, eandem viam properantem ac praetereuntem se ignarus attingere fingit, eandem nequaquam internoscere cum minime possit vel cupiat." Obstupefactus maneo. "Vera an falsa, amice, profiteris mihi?" inquam. - "Vera, profecto: vox, quam quaerit, vox est quaedam sine vultu, vox, quam intus alit quaeque eum hinc procul vocat.

Numquam, nisi fallor, ei tam fidi comites ac sodales exstiterunt, qui eum malevolis non afficerent maledictis, adeo ut sibi temptare non posset, quin hominum consortio neglecto unius tantum neptis amorem totis viribus expeteret. Ut vera loquar, ex quo, studiis confectis, diversi discessimus, unus gibber me tantopere dilexit, ut memoriam tuam mihi saepius maerenti mente animoque excitaret. Numquam id fieri posse credidissem nisi carissimus mihi ex omnibus sodalibus meis, cuius amicitia liberaliter utor, alienis non suis commodis inserviens, tacitum quoddam mutui auxilii foedus observavisset nec mercedis nec laudis illecebris delentus mihi credere et confidere non destitisset. Te enim, Marce, relicto, cuius humanitas imis adhuc praecordiis tenacissime haeret, durissimum vitae genus mihi deinceps propositum iri arbitrabar: non enim poteram aequo animo pati me amicissimum meum, qui tamquam mearum rerum omnium ac vicissitudinem particeps et concors exstiterat, inopinanti mihi esset ereptus. Gibber, ut vere dicam, ne videretur amici personam oblivisci, quomodo licuit, meam maestitiam cohibuit et consolandi hortandique mei gratia acerbitates fere omnes est expertus." - "Alter alterum invitus reliquit..." dolore motus inquam. - "Haec ita se habeant", sic ille haud cunctatus. "Sed cui aerumnas, gaudia, aegritudines, pari et mutua familiaritate orbi, concredere poterimus?" - "Mihi unus exstitisti amicus..." tacitus immo ac maestus aio, "tu, tu solus..." - "Et mihi tu..." brevissime praecidit. Incurvis oculis silentio tene-mur. "In hac solitudine ac recessu", sermonem sollicitus resumpsit, "gibber talem vitam agit, ut de cordis mentisque condicione minime sit anxius, sua facta minime secum reputet. Si volueris me usque ad eos hortulos comitari, quos ille summo amore colit, tua ego societate delectabor." Ne tam commodae ac singulari deessem occasione, eum comitem ac ducem sequendum constituo. Haud prope virum vidi capite quidem tremulo, cano raroque capillo, sed non adeo senem, ut maior videretur sexaginta annis natus. Tardus erat eius gradus, facies adustioris coloris tamquam ex recenti itinere, rugis admodum referta. Inexpectato eius capitis nutu ad nos raptim converso, paulatim meditari coepi, quid animo perturbarer quidque me agere oporteret. Ille autem articulorum veluti dolore prohibitus inclinatus restitit ac

baculo innixus, demisso vultu, incedebat. Hoc loco me continere non potui, quin ex amico rogarem, num is esset gibber ille, de quo sermo a nobis factus erat. Re statim confirmata sedatis ad eum passibus accedimus, loquendi initium facturi. "Gratulor tibi", Antonius inquit, "quod tam bene cuiusvis generis flores ordine posuisti." Inclinat is oculis arrisit. Cum autem maxime optarem, in eorum colloquio partem habere, ita timidus ordior: "Tam diversae florum species ac paene incredibilis calycum copia meos oculos, propter vividam colorum varietatem, tam suaviter offendunt, ut luminum aciem, mihi crede, perstringant." Confuse et prolixè, non sine quadam verborum pompa vix loqui potui. Denuo ipse arrisit, iterum tacuit. "Neque tu solus", ait Antonius mihi obviam veniens, "haec consulto adfirmas, nam, et mater mea cum aliquot ante diebus hic, rusticandi causa, morata esset, coenobii praedium et hortulos invisit, eadem fere verba proferens. Illa enim in his ipsis floribus divinae pulchritudinis inesse simulacrum iterum iterumque dictitavit." - "Ita quidem..." se gibber interposuit, "flores vero, immensam prorsus et ignotam pulchritudinem testantur." Erat in eo loquendi sine molestia diligens elegantia, aequabilis quaedam et temperata suavitas. Dum laeti loquimur, creber tintinnabuli sonitus vespertinas preces praenuntiat. "Mihimet, ut sacra absolvam, imminet redeundi hora", Antonius fatur, "non ita multo post rediero." Salute data acceptaque abit.

Cum vero confessus essem me numquam tam pulcherrimas corollas lapideis conchis vel potius lacunis virentes vidisse, me docuit eas nymphaeas vulgo appellari. "Opus est", inquit, "eas primo vere serere, ut lymphae et aquarum spiramina semina ad lucem proferant et, vermium insidiis detectis, eas adsidua cura pertractari, ut nitidissima foliorum corona se paulatim explicet, amantium somnia, ut in proverbio, et exaudiens et prosequens. Qui calycem legit, amat, quae sinu recipit, amatur: nempe, ni totus fallor, haec probe scis." - "Quidni nesciam?" eloquenti supercilii motu respondi, "neque etiam ignoro te eas adamare tamquam mulieris captus illecebris." - "An accepisti", pedem supplodens ac rubro ex vinolentia vultu, "praeiudicatas illas futilesque opiniones, quas amici, propinqui et huius vici incolae de me ac de floribus meis

enarrant?" - "Noli mihi, quaeso, suscensere harum rerum ignaro: me, tamen scito, pudet ac taedet rem tam privatam ac secretam in stultorum ore inerrare." - "Nymphaeae colores atque odores", addidit, "mulier mea illa miserrima summo opere dilexit. Cum vero inter ea, quae ab invidis ignarisque hominibus dictitantur, et ea, quae tibi dicturus sum, maxima sit veritatis discrepantia, quomodo se res habeant aequo animo tibi aperiam. Recordationibus corde subeuntibus, eam ipsam reviso adulta aetate vigentem, fervida illa vivendi ratione correptam: ecce dulcissimi conventus, quorum memoria meo numquam excidet ex animo, ecce iucundi amoris lusus per laetitiam festivitatemque transacti. En redeunt in mentem (nymphaeae interea sublustris vesperis albore ornantur) primae prorsus sollicitudines primique amantis angores et mira illa nox, qua primum eam suaviatus sum eique horum florum calyces trepidis digitis porrexi, candidi amoris suscipiens munuscula. Statim autem gaudiis illis, quae aeterna futura esse credideram, acerbi animi cruciatus successerant, cum volubilis illa mulier, quo ingenio erat novarum voluptatum semper cupido, ad alios se dedisset amores. Tum vero, desperatione deceptus, speraveram mulierem ad me unum redituram et uno ipsius amore contentam victuram: haec autem irrita omnia. Quis dolos, mendacia iniuriasque reminisci valeat? At illa dies, praeter omnes, meae adhaeret memoriae cum insanabili morbo correpta a me, amasio relicto, auxilium petivit, ut in ultimam tandem quietem eam reciperem. Infidelitatem oblitus eam oraveram atque obsecraveram, ne me desereret, sed anxiis illis diebus, morbi vi consumpta spiritum efflavit. Exanime corpus in arca composui nymphaeis ornavi. Adsiduis acribusque curis vexatus animique continuis dubitationibus detentus tenebrarum anfractus inire non dubitavi. Eodem fere anno, quo haec omnia evenerunt, Iulia in lucem edita est, sed illius amore atque blanditiis mulier illa, inhumano amasii consilio temptata, me uti omnimodis prohibuit: me filiae nostrae non esse patrem non semel sed iterum adfirmavit. Puellula adolevit, me, quasi eam consulto deseruissem, sprevit atque contempsit. His igitur de causis, ubi paucos post annos Carolo nupsit mihi, ut obstinatus credidi, ingrata valedixit, virum eius odio habui, quod filiam me invito rapuerat. Eius familiaritate,

ut ex his facile conicere potes, numquam sum usus, Iulia numquam patris amorem est experta, donec Laetitia in lucis oras prodiit: ex illa die interdum convenire solemus, neptis autem, quis ego sim, nescit. Novissimis diebus utramque vidi, utramque adamavi..." - hic breviter sermonem intermisit - "De meis propinquis non amplius mihi sit sermo" - asseveravit - "Quid enim colloqui cum illis iuvat, quos nihil ex iis, quae mea sponte vel invitus gessi, pro certo delectat? Dicunt apertissimeque profitentur se amoris vincula inter propinquos summo in honore habere, sed quis me ex dementiae, quod vocant, arbitrio liberaverit et in pristinam dignitatem restituerit? Ignorant profecto vitam tranquilla amentia contineri, cum ipsi solitudinem tamquam vivendi moram eligunt vel potius in se faciunt et animi quietem vel pacem appellant: aliud in pectore celant, aliud in lingua promptum habent...libenter, amice, illa vitae ratione careo. Attamen, carissimos meos rursus revisere, cum iis rursus colloqui, curis omnibus posthabitis, maxime cupio."

Die ad solis occasum magis magisque inclinante ei, pietate simul et amore motus, valedico hortum haud siccis oculis linquens. "Vera nunc scis, Marce," gibber ad me, "veritatis onus nemo sustinere potest." Fessis oculis omnia circum lustrat hebetique vultu dilecta visa fingit quaeritque ea, quae iam non sunt: insueta macie confectum aegrae tussis ictus percutiunt et vexant. Haud alacri incedens gressu, usque ad oram, quae ad florum lacunam spectat, procedit, nymphaeas, arbores, lucentissimum aerem demiratus: oculis in vacuo fixis sistit parumper, sibi tantum loquitur.

(Narrationis pars quinta in proximo libello sequetur)

Maurus Pisini



Subnoto RVMOREM VARIVM, ut ipse accipiam (Ich abonniere RVMOR VARIVS für mich selber)

_____ <-----

Subnoto RVMOREM VARIVM DONO DATVM ei, cuius inscriptio cursualis supra indicata est (Ich abonniere RVMOR VARIVS als Geschenkabonnement für jemanden, dessen Adresse oben angegeben ist:) -----
Factura subnotationis mittenda est ad inscriptionem cursualem infra indicatam (Die Abonnementsrechnung ist zu senden an:)

Ort, Datum: _____

Unterschrift: _____

Hier bitte frankieren

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
8050 Zürich

RVMOR VARIVS
c/o Daniel Weissmann
Tellstrasse 30
3014 Bern

AZB

8050 Zürich

5+6/94

IDIBVS DECEMBRIBVS

MCMXCIV

Hic solutionem inscribe et chartam mitte!

						6
						5
						4
						3
						2
1	2	3	4	5	6	

Nomen emittentis et inscriptio cursualis:



RVMOR VARIVS



TOMVS 17

FASC.106